Regestrum literarum de restitutione et unione terrarum Podlachiae et Voliniae Regno Poloniae.

Anno Dñi M.D.L.XIX.

Privilegium Commune Podlachiae et Volyniae

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam.
Quia memoria hominum infirma est et labilis, ne gesta eorum praesertim vero ea, quae ad utilitatem et conservandam societatem humanam pertinent, tractu temporis evanescant, provida sapientum sancivit authoritas facta, digna memoria solemni scripturae testimonio posterorum notitiae commendare. Proinde nos Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae magnus Dux Lituaniae nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cujaviae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Podlachiae, Volyniae, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniae, Samogitiae, Livoniaeque etc. Dominus et haeres. Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis et singulis praesentibus et futuris praesentium notitiam habituris, Quia cum antehac a multis annis omnes ordines et status Regnorum, ac ditionum nostrarum summo semper studio a nobis expetivissent, ut ejusmodi generalem Regni nostri Conventum indiceremus, in quo de uniendo cum regno nostro magno Ducatu Lituaniae, nec non de executione omnium jurium et privilegiorum regni et dominiorum nostrorum firmeda tractaretur, et concluderetur, ad eamque statuum, ac ordinum

Regni